

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput 50 [L.]

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

meus! o vita anima mea! o totum solatium meum!
 o amor meus! quando te ardentissime amabo? quando
 tibi pro beneficiis tuis fidelissime serviam? Utinam
 a me ipso totus deficerem, totus immenso amoris
 tui incendio conflagrarem. suscipe me ferrum
 tuum in bonum; tibi enim me consecro in
 perpetuum.

ps. 118

Caput 50.

Aspirationes ad Deum tanquam
 aeternam felicitatem nostram.

i Domine Deus, quam mihi sordere debet terra, dum
 coelum aspicio, teque illic tanquam torrentem omnis
 voluptatis, et abyssum cunctorum bonorum, in quam
 feliciter immerguntur electi tui, contemplan. Heu
 me infelicem, quod necdum cupiam dissolvi, esse
 cum Christo! O Deus meus, quid mihi est in coelo
 et a te quid volui super terram? An mens mea
 beatior esse potest, quam ut abundet omnibus bonis
 et liberetur ab universis malis? quid est ergo, o dul-
 cissime Deus, quod non ardentius ad te venire anhe-
 lem? Ecce enim apud te in coelo aderit omne bonum,
 et aberit omne malum; quid quid enim o anima
 mea, nolueris, ibi non erit, et quidquid volueris,
 ibi erit. Erunt ibi omnia desiderabilia
 quia aderit ille, qui omnia delectabilia fecit
 quibus cuncta jucunda in se recondit, verbo ibi
 erunt bona, quae nec oculus vidit, nec auris au-
 divit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit
 Deus diligentibus se? Diligam te igitur
 Domine Deus, diligam te, ut fruam te: amore
 tui teneam, tui desiderio flagrem, ut possideam
 te. Tu nunc esto meum solatium, qui es
 futurus praemium. Te semper querat anima mea
 et utinam te summum ac unicum bonum tandem inveniat

ps. 72

teneatq; per aeterna saecula

2 Felix itaq; illa anima, qua te dulcissimum Dominum facie
ad faciem intuetur, qua innixa super te tuis fruitur amplexi-
bus, qua torrente voluptatis tuae potatur, et inebriatur, ab
ubertate domus tuae. Ah quis capere sufficit, quantis haec delitiis
affluat? quam magna, quam suavia amoris tui sentiat blan-
dimenta. O Deus meus, vere tu es vita beata, vita jucunda
vita super omnia desiderabilis. Ecce enim in te erit gaudium sine
moeore, sanitas sine languore, requies sine labore, opulencia
sine amissione, beatitudo sine calamitate, suavitas sine amariz-
tudine, abundantia sine defectu, vita sine morte: verbo omnia erunt
tranquilla, amoena, desiderabilia, delectabilia. quo fit, o amantissime
Deus, ut qui te vident, semper te videre desiderent, et sine fastidio sati-
entur. Ah desidero te millies mi Deus, quando venies, me latu quando
facies, ut vultu tuo saties?

3 Quis iam nisi amens, aut coecus omnes mundi voluptates, tanquam
puerorum circundia non despiciat, si futura felicitate assidue me-
ditetur? O quae latitia! quae voluptas erit perpetuo conversari cu-
m Trinitate, ac pra admiratione, pra satietate, pra gaudio pra
delectatione, pra amoris ardore in eius absorberi visione? O quae
latitia! quae voluptas, dulciter agere ac familiariter colloqui
cum Christo Domino, cum dilectissima matre eius, cum uni-
verso tam nobili, tam casto, tam amabili coelitum coetu! O quae
latitia! quae voluptas, amoenissima illa luce aeterna perfrui
inscrutabilia secretorum Dei iudicia, et ineffabilia sapientia
ipsius arcana quodam cognitionis intuitu percipere! O quae la-
titia, quae voluptas, videre pulcherrima, audire jucundissima
gustare dulcissima, olfacere suavissima, atq; in oceano deliciar-
um voluti natare, omnibusq; bonis cumulari sine fastidio, sine
termino, in omnem aeternitatem. O quando veniam, et apparebo
ante faciem tuam Domine Deus! quando in pace dormiam, et
requiescam in te! Tibi iam dixit cor meum, exquisivit te
facies mea, faciem tuam Domine requiram in aeternum.

ps. 41

ps. 24

ps. 26

Capit 51.

Continuatio earundem aspirationum
ex Psalmis.

ex Psalmis.

1. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concu-
piscit et desicit anima mea in atria Domini. ps. 83.

Altaria tua Domine virtutu cupio, rex meus, et Deus meus. ps. eodem
Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in ta-
bernaculis peccatorum. ps. eodem.

Quia melior est dies una in atris tuis super millia hic. ps. eodem